



Entwurf.

Dorfritter

00

Nr.

T. o. 246.

DE DISCRIMINE  
LEGIS ET EVANGE-  
lij Propositiones, de quibus,  
Deo iuuante, disputa-  
bit Vir Nobilis  
**GEORGIVS VENETVS PRVTENVS,**

Die 19. Septembris.



VVITEBERGÆ.

Ex Officina Iohannis Lufft.

1550.





# DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII

## Propositiones.



Nitio in narratione Iohannis, discrimen Legis & Euangelij proponitur, cum dicitur. Lex per Moysen data est, Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Et apud Paulum. Nunc sine lege iusticia Dei manifestata est.

Ac necesse est, semper in conspectu esse hoc insigne discrimen, quo extincto tenebræ sunt horrendæ, ut sepe etiam in ea parte generis humani accidit, quæ nominatur Ecclesia, ut apud Phariseos & Papistas.

Et cognitio huius discriminis, reuera ad fundamentum pertinet de

tinet, de quo Paulus inquit, Funda-  
mentum aliud ponere nemo  
potest, præter id quod positum  
est, quod est Iesus Christus.

4 Manifestum est aliud esse do-  
ctrinam precipientem & con-  
demnantem, Aliud promissio-  
nem offerentem remissionē pec-  
catorum, imputationē iusticiæ,  
spiritum S. & uitam æternam  
propter filium dei Mediatorē,  
non propter ulla nostra merita.

5 Sint igitur initio notæ defini-  
tiones. Lex dei est doctrina a deo  
tradita, precipiens quales nos es-  
se, et quæ facere et omittere oport-  
eat, & promitteris bona præ-  
stantib. integrum obedientiam,  
& condemnans omnes non pre-  
stantes integrum obedientiam,  
hoc est, adfirmans uere irasci des-  
um omnibus non prestantibus  
integrali

integrām obedientiā iuxta hoc dictum. Maledictus qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.

Habet Lex promissiones, sed non gratuitas, uerum postulant̄tes integrām obedientiam.

Sed promissio Euangeliū propria, est promissio in qua propter filium dei Mediatorem, offeruntur gratis, non propter nostra merita, remissio peccatorū, donatio spiritus sancti, imputatio iusticiæ, & hæreditas iusticiæ et uitæ æternæ, omnibus qui in Filium dei credunt.

Ideo in Iohanne scriptum est, Lex per Moisen data est, q. d. Alia uox est lex & aliæ res, quæ per Moisen institutæ sunt, per quem hæc politia et hi Ritus instituti sunt, quæ omnia sunt um̄ a iij bræ

6

7

8

bræ aliarum æternarum rerum,  
Nondum sunt illa summa bona;  
que per Messiam exhibebuntur,  
Sed gratia, id est, remissio pecca-  
torum gratuita et imputatio ius-  
ticiæ, & ueritas, id est, uera &  
æterna lux in mentibus, & agni-  
tio Dei, et uera ac æterna iusticia  
& uita adferuntur per hunc Ie-  
sum natum ex uirgine, qui est  
Messias, de quo promissiones  
traditæ patribus concionatæ  
sunt. Sicut & Petrus omnium  
prophetarum consentientē uo-  
cem esse dixit. Huic omnes pro-  
phetæ testimonium perhibent,  
remissionem peccatorum acci-  
pere per nomen eius, omnes qui  
credunt in eum.

9 Duæ sunt illustres differen-  
tiæ, promissionum legalium &  
promissionis quæ est Euangeliū  
propria

propria, Scilicet expressa mentio  
Redemptoris & particula ex-  
clusiva Gratis.

Mirando temperamento ius-  
ticiae et misericordiae, tolluntur  
peccatum & æterna ira, Recipi-  
mūr n. immensa misericordia,  
propter Filium deprecantē pro  
nobis. Sed tamen uoluit deus  
Legem suam non esse irritam,  
uoluit iusticiæ suæ satisfieri, &  
solui pœnam per aliquem in ges-  
nere humano. Ita in Filium effus-  
sa est ingens ira, cuius magnitu-  
dinem nulla creatura uel intelli-  
git, uel sustinere posset.

Pro hoc ingenti amore tuo      11  
erga nos, & pro tua passione, ti-  
bi fili dei domine Ihesu Christe,  
crucifice pro nobis & resuscitate,  
gratias agimus ardentibus  
a iiii pecto-

pectoribus, & te oramus, ut pro  
nobis intercedas apud æternum  
patrem, & nos Spiritu sancto ac-  
cendas, ut tua beneficia intelli-  
gamus et grati celebremus.

12 Itaqꝫ quod ad nostra merita  
attinet, gratis tolluntur pecca-  
tum & ira æterna, non propter  
ulla nostra merita, sed simul in-  
tueamur Filium dei, qui pœnam  
pro nobis persoluit, Sicut pros-  
pheta inquit. Quia ponet ani-  
mam suam hostiam pro pecca-  
to. Et ipse inquit. Matthei xx.  
uenit filius hominis ut det ani-  
mam suam, λύτρον pro multis etc.

13 Impius error est , fingere tres  
fuisse leges, Primam naturæ, Se-  
cundam Mosaicam, Tertiam E-  
uangelicam, Et saluatos esse ho-  
mines

mines in singulis, propter opera  
legis.

Impie & Latomus Louanis-  
ensis theologus scripsit, non aliis  
am fuisse noticiam Dei in Abra-  
ham, quam qualis in Cicerone  
aut Xenophonte fuit, cum Filius  
dei expresse dicat, Abraham ex-  
petiuit uidere diem meum. Ag-  
nouit igitur Abraham Media-  
torem, ostensum in promissio-  
ne.

Nec Patres nec alij ullo tem-  
pore, acceperunt remissionem  
peccatorum propter sua opera,  
nec fuerunt iusti, nec hæredes ui-  
tæ æternæ, operibus legis, Sed  
propter Filium dei gratis fide,  
acceperunt hæc beneficia Re-  
demptoris.

Etsi ceremoniæ alij tempori  
bus aliæ fuerunt, tamen leges  
a 5 mo

morales eadem sunt in omni  
æternitate, quia sunt ipsa sapien-  
tia Dei, & rectitudo uoluntatis in  
Deo immota, sicut semper ea-  
dem est noticia numerorum. Et  
ea pars legis, quæ dicitur mora-  
lis, precipua est. Ceremoniæ &  
politicæ leges fuerunt signa &  
exercitia certi temporis, sed neq;  
morales neq; aliæ leges tollebāt  
peccatum.

17      Et lex moralis natura nota  
est, ac simul uoce diuina statim  
initio patrib. repetita, quia in hac  
caligine mentis humanæ, etiam  
naturales noticiæ sunt obscurio-  
res. Ideo et uocem suam addidit  
deus, ut in illa ipsa legis doctrina  
retraheret uagabundas mentes,  
ad ueri dei agnitionem & inuo-  
cationem.

8      Norunt utcunq; legem mora-  
lem

lem Socrates, Xenophoni et similes. Sed tamen a uero Deo aberant, ut Euripides inquit, Inuocote deus, quidquid es, siue hoc cœlum, siue mens, quæ uehitur in hac mole. Lex igitur & uoce Dei edita est, ut ad hunc uerum Deum nos retrahat, qui se in Ecclesia data promissione de Mediatore patetfecit. Sicut inquit, Ego sum Dominus deus tuus, qui te eduxi ex Ægypto. Testimonium & uerbum proponit, quo discernit uerum deum a commenticijs nusminibus.

Et tamen, semper manet uera Regula, Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo.

Statim autem post lapsum & promissio gratiæ edita est, qua uere colligitur, & distinguitur  
deinde

deinde Ecclesia dei a ceteris gen-  
tibus, Adam et Heua audientes  
promissionē de uēturo Semine,  
de quo dictum est, Semen mulie-  
ris conteret caput serpentis, sen-  
tiebant se uiuificari ex morte, &  
credebant se iam recipi & rursus  
placere Deo propter uenturum  
Semen. Hac fide gratis propter  
hunc uenturū Victore, erant iu-  
sti et heredes uitæ æternæ, non  
propter legem, quia utruncq; per  
spicue norant, se non fuisse reui-  
cturos ex pauoribus et morte,  
cum accusarentur a deo, si non  
audiuissent promissionem. Et ui-  
debant deinde in sua natura des-  
structam esse harmoniam cordis  
et legis,

21 Hanc horrendam destructio-  
nem, quia magis intelligebant,  
quam nos, adsiduis lacrymis de-  
ploras

plorabant, et sciebant se non esse  
iustos sua dignitate aut suis me-  
ritis.

Imo et antea didicerunt, se sa-  
pientia legis tantum condemnata-  
ri, priusq; edita esset promissio.  
Necesse n. fuit eos sic raciocinari.  
Iusticiæ est abijcere inobedientes,  
Deus est immutabiliter iustus. A  
bijciemur igitur immutabiliter.

Huius argumēti solutionem, 23  
nullius creaturæ sapientia cerne-  
bat. Sed Filius dei pœnam in sese  
deriuans, ut iusticiæ diuinæ satis  
fieret, huius argumenti solutionē  
ostendit.

Sic et postea edita promissio-  
ne, se sustentabant contra sapien-  
tiā legis, quæ conscientię uulnera  
subinde rescindebat.

Igitur postq; recepti sunt A-  
dam & Heua, semper hic cœtus  
deinceps

deinceps certo fuit, est et erit Ecclesia dei, in qua sonat non sola vox legis, Sed etiam promissio gratiae propter Filium dei, recte intellecta, id est, ubi fundamentum incorruptum retinetur, hoc est, ubi continentur omnes articuli fidei, & usus Sacramentorum, sicut fuerunt instituta.

26

Vetus igitur legis praeceps est, in toto genere humano ostendere, iudicare & damnare peccata, & damnare reos peccati. Et ut Paulus inquit, Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex est.

27

Quia lex est iudicium Dei irascientis peccato, et punientis reos peccati. Et ut Paulus inquit, Per legem peccatum fit excellenter peccatum, id est, rea natura opprimitur hoc iudicio, ut sentiat horrendam

horrendam iram Dei aduersus  
peccatum.

Etsi autem multi diu securi  
uiunt, sine sensu iræ Dei, ut &  
Paulus inquit. Ego aliquando  
sine lege uixi, tamen tandem eti-  
am prophani hoc iudicium sen-  
tiunt, ac ruunt in æternas poe-  
nas, qui non conuertuntur nec  
seruantur agnitione filij Dei.

Vult autem Deus maxime in  
Ecclesia, in hac uita intelligi iram  
aduersus peccatum, sicut dicitur. Ju-  
diciū a domo Dei incipit. Ideo et  
semper uult audiri uocē arguen-  
tem peccata. Et insania est ima-  
ginari peccata in Ecclesia non ac-  
cusari lege Dei, et non proponen-  
dam esse in Ecclesia uocē Legis,  
ostendentem iram Dei.

Sed tamen et liberatio a lege  
et ut Paulus inquit, a maledicti-  
one Le-

one Legis, cognoscenda est. Hęc  
liberatio proponitur in Euange-  
lio, ut Paulus inquit, Christus  
uos redemit a maledictione Le-  
gis, factus pro uobis maledictū.  
Obseruandum est autem in uer-  
bo Redemptionis comprehen-  
di, & liberationem et compensa-  
tionem.

31

Ita liberamur a iudicio & ma-  
ledictione Legis, cum credimus  
nobis certo propter Filium dei,  
donari remissionem peccato-  
rum, imputationem iusticiæ,  
spiritum Sanctum, et uitam  
æternā, gratis, non propter dig-  
nitudinem nostram.

32

Longe aliter fit hæc liberatio,  
a Lege et iudicio Dei, quam ab-  
rogatio legis de Nummo ferreo,  
facta est Spartę ubi lex ipsa mor-  
tua est, spernentibus eam ciui-  
bus.

Sed

Sed lex moralis est iudicium  
Dei, quod non mutatur, nisi fide  
Filiū dei adprehendentibus.  
Ut Iohannis. iij. dicitur. Qui cre  
dit in eum non iudicatur.

32

Et quanç̄ herent in reconciliato, multa peccata, et magnæ  
sordes, tamen persona iusta est,  
propter filium Dei, sola fide, id  
est, per misericordiam donata re  
missione peccatorum, & impun  
tata iusticia, propter filium Dei,  
non est iusta propter legem, aut  
nostram dignitatem, Sicut Psal  
mus inquit. Non iustificabitur  
in conspectu tuo omnis uiuens.  
Ac de talibus credentibus dicio  
tur. Non estis sub lege, sed sub  
gratia.

33

Sic hi liberati sunt, a maledis  
etione Legis. Et tamen manet  
haec lucta assidua, Agnoscitur  
b herens

34

heretis in nobis peccatum, et fide apprehenditur liberatio & consolatio.

35 Hac fide sustentante corda in uero agone Spiritus Sanctus ure accedit nouam lucem, uitam et obedientiam, Sicut dictum est. Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.

36 Condonatur ergo praesens immundicies cum uincit fides, non cum regnat peccatum, id est, non cum cedit fides temptationi contra conscientiam, ut cum Heua uel Aharon cesserunt temptationi ruzentes contra conscientiam.

37 Tales exutiunt et contristant Spiritum sanctum, & fidem que est fiducia misericordiae amittunt.

38 Manifestum est n. discerni in Paulo regnans peccatum, & non regnans. Non

Non igitur intelligēda est li-  
bertas, licentia uiolandi legem  
Dei contra conscientiam.

39

Sed libertas est in retinente  
Spiritum Sanctum, et fide uincen-  
te tentationē. Hæc sunt cer-  
tamina magna piorum, in quib-  
us crescit fides uictrix Diaboli.  
Et Filius dei sic declarat suam po-  
tentiam, adiuuans nos, ut destru-  
at opera diaboli. Sic uincit in  
Ioseph repugnante illecebris  
adulteræ, In Iob repugnante de-  
sperationi etc.

40

Est autem deinde et hic usus  
legis in reconciliatio. Manet or-  
do sempiternus, ut creatura obedi-  
at Creatori. Et ostendit Lex,  
quæ opera & qui cultus deo  
placeant. Oportet autem et ope-  
ra sanctorum regi expresso uer-  
bo Dei, iuxta illud, Lucerna pedi-  
bus meis uerbū tuū. b ij Nec

41

Nec licet ulli creaturæ institueretur cultus Dei, sicut scriptum est. Frustra colunt me mandatis hominum. Et hi cultus, quos Deus tradidit, sine corruptelis, uigilanter, et pie retinendi sunt. Semper in mundo, exemplis patrum male intellectis, impij abusi sunt, & paulatim κακογλία addidit plura idola, ut cum primi patres recte sacrificassent, postea Chaldei & alij finxerunt hæc opera mereri remissionem peccatorum. Et ad finxerunt abominandos errores, hunc ignem sumptum ab igne patrum accenso diuinitus, esse numē, esse deum ipsum. Deinde hunc ignem publice circumfrentes adorauerunt. Postea alij alia numina, & alios cultus horrenda audacia finxerunt.

Hæc

Hæc cum acciderint antea cū 43  
sapientia, disciplina, doctrinæ  
studia, & aliæ uirtutes maiores  
essent, & cum Ecclesia tantos  
monitores haberet, Sem, Abra-  
ham, et deinceps multos, non co-  
gitemus nihil irrepsisse uiciorum  
in Ecclesiam, in hac infirma et de-  
lira mundi senecta, & in tantis  
gentium dissipationibus, et con-  
fusionibus, et neglectione doctri-  
næ et discipline.

Imo cito obscurata est doctri- 44  
na, de Iusticia fidei, ut ostendunt  
Origenis & aliorum scripta, &  
nati sunt Monachi, quorum ex-  
emplis confirmata est persuasio,  
mereri homines remissionem  
peccatorū operibus, et quidem  
non mandatis a Deo.

Postea ministerium Euange- 45  
lij ab Episcopis conuersum est in  
b iij Regnum

Regnū, et neruus additus, Mis-  
sa papistica, et multiplex depra-  
uatio cœnæ Domini omniū pio-  
rum lacrymis deploranda.

46      Et caligo Ethnica secuta est,  
fuit ignotum discrimin Legis,  
& Euangeli, Confirmata est per  
suasio, mereri homines remissio-  
nem peccatorum, et iustos esse  
proprijs operibus. Deinde addis-  
tum est, Cum nemo sciat quan-  
do satis operum habeat, manen-  
dum esse in dubitatione, nec fide  
uincendam esse dubitationem.

47      Hæc dubitatio prohibet con-  
spici beneficia Mediatoris, &  
consolationē firmam consciētijs  
eripit, et prorsus corruptit ues-  
ram inuocationem. Non n. po-  
test mens accedere ad Deum, pe-  
tere et expectare bona, nisi fide  
aliquo modo acquiescere incepe-  
rit, et se quasi duci statuat a Mes-

diatore Filio dei, sicut inquit Paulus. Per hunc habemus accessum fide etc.

Et tamen decretum Synodi Tridentinæ iubet manere in dubitatione. Et postea in Synodo Bononiensi decreta facta sunt, quorū manifestior est impietas, quæ adfirmant satisfactiones ut ipsi uocant, Canonicas necessariās esse. Item in circumgestatione panis, faciendam esse adoratiōnem etc. 48

Et sicut apud Ethnicos multa numina excogitata sunt, ita peruasit in Ecclesiam inuocatio hominū, qui ex hac uita discesserunt, cum horrendum cogitatum, compellare homines absentes quasi motus cordiū inspiciant, quod solius est omnipotentis nature, et expresse dictū sit. Dominiū deū tuū adorabis. Om̄ 49

51

Omnino necessaria est cura  
singulis hominibus, querere uer-  
am Ecclesiam dei, & ei se adiun-  
gere, et in ea audire doctrinam  
a Deo traditam, & cum huius  
ueræ Ecclesiæ inuocatione et con-  
fessione coniungere suam inuo-  
cationem & confessionem, Sicut  
Dauid inquit Psalmo 26. Vnū  
petij a domino, hoc requiro, ut  
habitem a domo domini omni-  
bus diebus uitę meæ. Et Psal. 8. 3.  
Beati qui habitant in domo tua  
Domine. Et Psalmo 91. Plantas-  
ti in domo domini, in atrijs dos-  
mus Dei nostri florebunt.

52

Et cum uelit Deus, filium ag-  
nosci, et exaudiri in toto genere  
humano, uult et Ecclesiam con-  
spici, & cœtum uisibilem esse.  
Estq; uera dei Ecclesia, cœtus ui-  
sibilis, retinens fundamentum,  
id est, doctrinam Euangelij

incorruptā, iuxta omnes articulos fidei, præcepta, promissiones, legitimū usum Sacramentorū et reuerentiam ministerio debitam, nec defendens idola.

Nec alibi sunt electi nisi in hoc cœtu uocatorum, iuxta il<sup>l</sup> lud. Quos elegit, hos et uocauit. Nec libertas illa pia est quam sibi multi sumunt, qui more Academicorum uagantur, et contradicunt omnibus, & nullius Ecclesiæ ciues esse uolunt, de quibus dicitur. Qui non colligit mecum, dispergit.

Et Filius dei in agone precastur æternum patrem, ut faciat ut unum simus in Deo. Adiungamus igitur nos ad ueram Ecclesiam, ubi cuncti sumus, uotis & confessione. Quare confiteor me amplecti, consensu catholicæ Ecclesiæ

b 5      Ecclesiæ

clesiæ dei expressum in confessio  
ne, quam hæc Ecclesia exhibuit,  
Imperatori Carolo Augustæ  
Anno 1530. et in societate eorū,  
qui hanc doctrinæ uocem am-  
plexuntur, Verum Deum, fidu-  
cia Filij dei domini nostri Iesu  
Christi inuoco.

¶ 54 Cum dicitur apud Zachari-  
am, Effundam super domum  
Dauid, et super habitatores Ieru-  
salem, spiritum gratiæ & precū,  
discernitur carcer legis, a libera-  
tione donata per Redemptorē  
filium Dei, Lex ministerium est  
horrendæ iræ Dei, & in hac in-  
genti consternatione et fuga cō-  
ticescit inuocatio. Sed cum uoce  
Euangeli⁹ annunciatur remissio  
peccatorū, Spiritu gratiæ uiuifi-  
cantur corda, agnoscunt gratiā,  
id est, misericordiam Dei, prop-  
ter Re-

ter Redemptorem promissum,  
et se recipi credunt. Et cum hac  
fide, Spiritus sanctus accedit  
ueram inuocationē, quæ fit tan-  
tum in uera Ecclesia.

Nam Ethnici, Turci et similes, 55  
etiamsi adfirmant se inuocare  
uerum Deum, illud uidelicet nu-  
men, quod condidit celum et ter-  
ram, tamen a uero Deo aberrant  
quia negant esse æternū Patrē,  
& Filium imaginem, de æterni  
patris essentia genitam, et Spiris-  
tum sanctum ab æterno patre  
& filio procedentem.

Non igitur adorant uerum 56  
Deum, sed sculpunt sibi ipsis si-  
mulacrum in sua cogitatione,  
quod compellant, fingentes  
aliquid esse Deum, quod non  
est deus.

Alij

58 Alij postea alia multa simu-  
lacula sculpunt, ut Athenienses in  
bello Xerxis sacrificabant Bo-  
reæ, tanq; ueteri adfini propter  
Orithyā, et petebant ut classem  
Xerxis suo flatu pelleret. Talis est  
inuocatio compellantium homi-  
nes absentes.

59 Deinde accedunt Ethnici ad  
illud numen, sine promissioni-  
bus, sine Mediatore, cum perpe-  
tua dubitatione. Ita mediatorem  
nunc quoq; remouent, qui iu-  
bent manere in dubitatione, aut  
qui fiducia sui sacrificij, aut alio-  
rum priorum operum ad  
Deum accedunt.

60 At cū uera Inuocatione coniū-  
cte sunt ceteræ uirtutes, Dilectio,  
bonum propositum, Spes, Pati-  
entia, et aliæ, Ita cum Spiritus  
sanctus, corda fide uiuiscat, si-  
mul

mul inchoat in hac consolatio-  
ne, interiorem obedientiam, quod  
voce legis nequaquam effici potuit.

Sed haec obedientia nondum  
est perfecta Legis impletio, quia  
uerissimum est, peccatum in na-  
tura humana reliquum in hac  
uita, et si mortificari cepit, tamen  
nondum prorsus mortuum esse.  
Tegitur autem a filio Dei qui est  
umbraculum, et liberauit creden-  
tes a maledictione legis.

Philosophica imaginatio est,  
Heroicis donis infusis, propterea  
hominem iustum esse, sicut &  
Cicero inquit, Nullam existere  
uirtutem magnam sine adflatu  
diuino. Et quidem Ethnicis illæ  
ipsæ Heroicæ uirtutes, ut Achilo-  
lis & Alexandri fortitudo, illu-  
stria testimonia de Deo fuerunt.  
Sed in Ecclesia necesse est, dici de  
remissio-

61

62

remissione peccatorum, de imputacione iusticiae propter filium Dei, & de fide, id est, fiducia misericordiae intuente filium Dei, qua liberamur a maledictione legis, ab ira Dei, & a morte æternâ. Sicut Paulus inquit, iustificati fide pacem habemus.

**62** Quanq̄ igitur inchoata est obedientia, tamen in hac mortali uita, persona iusta est, id est, accepta deo ad uitam æternā, immensa misericordia propter Mediátorem sola fide, non propter propriam dignitatem. Et in tali persona, prelucente fide, placet obedientia, et fit cultus Dei, propter Mediátorē, et habet premia in hac uita, & post hanc uitam. Sicut Petrus inquit, offerte hostias Spirituales acceptas Deo, per Iesum Christum.

Alius

Alius usus est Legis Politicus 63  
cohercens externa mēbra in om-  
nibus hominibus, etiam non  
renatis. Sed etiam hanc mutilam  
libertatem sepissime horribiliter  
uincunt flammæ prauorum ad-  
fectuum, et Diaboli hanc miser-  
rimam naturam, odio Dei omni-  
bus contumelij adficientes, Sed  
aduersus hæc ingentia mala, fili-  
us Dei reconciliatis et eum inuo-  
cantibus, uult opem ferre, et con-  
terere caput Serpentis, & iubet  
petere auxilium, et adfirmat uere  
placere Deo, hanc petitionē, nec  
irritam esse, iuxta illud. Quanto  
magis Pater uester celestis dabit  
Spiritum sanctū potentibus. Ta-  
les promissiones intueamur, &  
nos ad petendum auxilium, con-  
tra seuissimum hostem, et contra  
infirmitatem nostram exusci-  
temus Rew Dōgah.



AB 101963(1)

ULB Halle  
003 924 378

3



7A → 9C



B.I.G.

FarbKarte #13

Black	White	3/Color	White	Black
Magenta				
Red				
Yellow				
Green				
Cyan				
Blue				
Centimetres	1	2	3	4
Inches	1	2	3	4
	5	6	7	8
	9	10	11	12
	13	14	15	16
	17	18	19	20

SCRIMINE  
ET EVANGE-  
sitiones, de quibus,  
juante, disputa-  
Vir Nobilis  
VENETVS PRVTENVS,

9. Septembris.



TEBERGÆ.

ina Iohannis Lufft.

1550.

